REX CORDIUM AMOR DEUS

Summe amabilis quia Misericors

Propitius Peccatori

R E X

Amoris & Doloris

JESUS CHRISTUS,

Infans Crucifixus Eucharisticus,

In Capite, Facie, Corde Anima, & Sangvine in Honore, Veritate & Innocentia.

Victima Amoris

R E G I N A

Virtutum in horologio Vitæ suæ, Dolorum in Passione, Gratiarum in Gloria

B. V. M A R I A,

Devotissimis cultibus & concentibus

ADORATI & CORONATI,

Pro immensa meritorum nostrorum Corona, Pro merito bonæ mortis,

Publicæ devotioni & pietati

COMMENDATI.

Authore Polono R. J. M. N.

Cracoviæ Typis Michaëlis Dyászewski, S. R. M. Typ.

BONCZA

SYDUS GENTILITIUM

Plusquam in Lumine Solis

Sic emblematice elicidatur,

In Corde ignito D. P. AUGUSTINI *BONCZA cordialiter infixus, supra insignia Fortunæ & Honorum pedes amovens illos cum Capite & Cornu ad Cælos exaltat.*

L. 1. Cornu sic exaltabitur ejus,

L. 2. - - - - - Igne Paterni Cordis ad Astra feror.

Exiliens pedibus super æthera BONCZA triumphat,
Nec calcare volens quæ sibi sternit honor.

Anno Regis Christi, sic caballistice enumerato:

A R D E A T A D S E R A P H I M
1.80.4.5. 1.100. 1.4.90.5.80.1.60. 8.9.30.
P I A F A X L A U R E N T I-
60.9. 1. 6. 1.300. 20. 1.200.80.5.40.100.9.
U S I G N I S
200.90. 9. 7.40. 9 90.
J O S E P H U S V O T O:
9.50.90.5 60 8.200.90.200,50.100.50
F L O R I D U S A N T E D E U M
6.20. 50. 80, 9. 4.200.90. 1. 40.100.5. 4. 5.200.50.

I M P R I M A T U R.

M. Stanislaus Mameczyński, U. J. Doct: & Prof: Can: Cath: Crac: Librorum per Diœc: Crac: Censor. mpp:

PERILLUSTRI REVERENDISSIMO
DOMINO & PATRI
LAURENTIO, JOSEPHO, FLORIDO
CHMIELECKI,
Canonicorum Lateranensium,
Ordinis S. Augustini,
Per Minorem Poloniam & M. D. Lithvan:
PRÆPOSITO GENERALI,
nec non
Perill: Adm: RR. Dominis
PRÆPOSITIS
Conventuum Particularium
In Minori Polonia Mq; D. Lithv:
Ac universo Ordini & Vener: Capitulo
Priorum, Doctorum, Lectorum,
Concionatorum Operariorum,
Omniumq; omni veneratione dignissimorum
CANONICORUM
Benedictio à Domino,
Pax & Salus.

AD Ignem vivum & Divum, ad rogum de Crucibus clavis, hastis, spinis gladiisq; compositum. Laurum & Lilium in-

vito. Non recusa in hæc Divina JESU *Christi cadere diademmata Tui Capitis, incendia Cordis, Doctorali Lauro, Rosis Canonicorum, Liliis Virtutum Coronate* LAURENTI JOSEPHE Floridissime.
Perill: Reverendissime GENERALIS.

Quæ ego hic ad concentum dulciorem composui sunt hæc soliloquiorum Ignis, Confessionum Lachrimæ S. Patris pondera vocis pectoribus nostris incutientes. Expendere velis LAURENTI! *obaudi* JOSEPHE *subodora* Floridissime Pater, *odorem & suavitatem Paterni Cordis, immenso se nobis flamine D. Amoris, flumine lachrimarum infundentis. Nam quis non videat, quis non prædicet testeturq; quod sicut es,* GENERALIS Pater *Floridissimorum in candore Liliorum vestium virtutumq;* Tuorum *in loco D. Patris Augustini Filiorum. Ita es* GENERALIS *summa Virorum Angelicorum Canonicorum doctissimorum piissimorum zelosissimorum. E quibus sicut Lilium de floribus, sicut adamas de gemmis ad hanc præeminentem tot Capitum Cordiumq; Directionem selectus es, ut* Præpositus *multis optimis, Optimus Pater & Rector ab omnibus pro Augustino adoreris. Non est aliud appingendum Cor manui Augustini quàm* Tu *es, manuductor tot Patrũ subditorumq; Fi-*

liorum

liorum, vivum Cor ardens & lucens omnibus omni ardore, pietate, mansvetudine, oratione, vigilantia, justitia omni & Clementia. Quæ omnia omnes ita in Te *recognoscunt, acsi* Te *è Cælis demissum D. Patrem revererentur. Et hæc est Lux* Tua *& Claritas major quia Sanctior quàm est illa quæ* Te *de* Generosissima Domo BONCZA *Illustri Lucinæ sinu mundo edidit, quali Lumine refulgens, Duce Virtute Literis, pedissequis etiam in sæculo poteras succedere aut præcedere Infulatos. Sed ubi sæculares fortunas honorumq; elevatis pedibus* BONCZA *nec pedibus attingere volebas, solo* DEO *contentus cum Augustino, etiam hic sacer Spirit: Ordo novit condignam virtutem non recusavit hanc Generali honorum suorum Religioso ab omnibus cultu & obsequio, ut Lumen & Numen sibi præpositum elevare. Gratulor* Tibi *hanc Coronam Lauri, Sertum Lilii, summam Floris in Corona Cordiū* Tibi *faventissimorū Filiorū* Rm̄e Patrū Canonicor: *vivum Lilium Flos & Laurus sic ut floreas diu sæcula posco.*

Fax pia LAURENTI nobis per sæcula fulge,
Et JOSEPHE DEO FLORIDE vive virens.
Doctorum Laurum Tibi consecro verticis aurum,
Augustini Cor aurea Vitta Tibi.
Floribus exultas o quot? Quot Lilia Fratrum,
Flos Florum! recreas cordis odore DEUM.
Quid superen Capiti tam Magno tamq; Beato,
Infula par illud cingere nulla vires.

Gratulor Vobis
Floridiſſimi, Laureati, Liligeri
Adm: Rdi Patres

Fratres Religiſſimi ſui & Religioſi Præſidis Liligeri: Compræpoſiti, Concanonici, Comapoſtolici Doctores ac Cooperatores in Vinea Chriſti.

Quod Vos in uno S. Patris Auguſtini Corde cum Generali *ſuo Divini Conſortes amoris & candoris ita resolligam, acſi unum omnes Cor in uno Pectore Patris, unus ardeatis ignis, & unus flos unum in Lauro Lilium* JOSEPHI Floridiſſimi *floreatis. Hanc Ipſe DEUS impoſuit Coronam Cordi Auguſtini. Vos Flores, vos Gemmas & Adamantes. Quibus eſt Florida vita, verus bonus odor Chriſti, & Cordis Auguſtini: Gemmeæ Virtus ſine cenſuræ & nota: Zelus Seraphicus ſine fumo. Lumen Lumen Auguſtini ignici Cordis ſine umbra! Adoro! benedico. Florete æterno vere, vere Liligeri Patres in candore Sanctiſſimæ Vitæ ubiq; intaminati, ubiq; odoriferi Flores! Comites! Odor! Candor Agri & Lilij JESU Chriſti.*

TU *vero* GENERALIS Rdiſſime.

EMUSALUCESEROBORESÆCULASUME

Ex utraq; parte legibili voto, ex omni, vovet benedictiones

Joſephus Nagavvski.

PRÆLUDIUM
De S. AUGUSTINO
Juxta Cujus Cor & Mentem sequentia concinuntur.

HYMNUS
Neocompositus,

AUGUSTINUM ante trinum
Numen in unitate,
AUGUSTINUM Cor Divinum
Unitum Charitate.
Toto polo igne colo,
Ejus Cordi cor immolo,
Plenus humilitate.
AUGUSTINUM Seraphinum
In Christi Ecclesia,
AUGUSTINUM Cherubinum
Plenum Sapientia,
Doctorem Patrem Doctorum,
Consodalem Angelorum,
Virtutum compendia.
O quàm rara mens tam clara
Divinis Mysteriis,
Quantum mare alveare
TRIADIS deliciis,
Abissus Scientiarum,
Thesaurus Ecclesiarum,
In scriptis & gratiis.

Præſul Cleri Liligeri
Exemplar & Regula,
O quot Cœtus DEO fretus
Fundavit in ſæcula,
Totus plane Ejus Igne,
Mundus calet ſat benigne,
Urunt corda ſpecula.
Plenus dotum Sacerdotum
Teſtamentum reſpuit,
Pauper Chriſti nihil miſti
De mundo ſuſtinuit,
Ipſo DEO plenus nimis,
Vivere ſine lachrimis,
Neque mori voluit.
Tam inſignem DEI Ignem
Neque mors refrigerat,
AUGUSTINO vox de Trino
DEO Cor ſic vulnerat,
Ut videatur ardere,
Et ſe in ſaltus movere,
Amor mortem ſuperat.
Sine fine AUGUSTINE
Te volo collaudare,
Corde Tuo perpetuo
Fac me DEUM amare,
Tecum in morte gemendo,
Flammis aquis cor expendo,
Poſſim ſic exſpirare.

§§§)(o)(§§§

§§)(✠)(§§

CULTUS
EUCHARISTICUS
VISITATIONES
Per diem ſeptem
Regis amici Sponſi Amore Noſtri incarcerati
Cultu uſitato Religioſis
Ex mente SS. Patrum
Ardore pluſquam Seraphico
EXHIBENDÆ.

VISITATIO I.

O Majeſtas inter feſtas
Hanc horam recenſeo,
Qua Te ſpecto Caput flecto
Ardeo & lugeo.
Ante Thronum Tui Vultûs,
Infinitos Tibi cultus
Pono cum Humagiis.
O Aurora omni hora
Mihi præſentiſſima,
O Lux Diva rediviva
Mihi clementiſſima.
Ad Te de nocte ſuſpiro,
Non obrutus fato diro
Procidens cum baſiis.
Tibi pectus & affectus
Cor pando & viſcera.

Tibi ſenſus do in cenſus
Tu diei Teſſera.
Tu amoris atq; cultus,
Sis objectum mei vultus
Centrum & compendium.
Tibi totus omnes motus
In Latriam dedico,
Per Te Patrem Te per Matrem
Oro, placo, ſupplico.
Tu pro me ſemel directum,
In Cruce: ſemper perfectum
Eſto Sacrificium.

ORATIO.

AVe dulciſſime JESU Chriſte! Fili DEI, Fili David, Fili Virginis MARIÆ: plenus gratiæ & veritatis, abiſſus miſericordiæ, Vita dulcedo & ſpes mea Ave. Tu Verbum Patris, Tu Splendor & Figura Subſtantiæ Ejus. Tu ſpecioſus forma præ Filiis hominum: Tu Rex Regum Dominus dominantium, Tecum principium in die virtutis in ſplendoribus Sanctorum: Benedictus Tu Fructus Ventris MARIÆ JESU Chriſte miſerere nobis peccatoribus nunc & in hora mortis noſtræ Amen.

Laudetur L. L. SS. Sacramentum.

VISITATIO II.

Intrando Eccleſiam.

O Rex Regum Paſtor gregum
Qui Te credunt intime,
Salvatorum ſalvandorum
DEUS Pater optime.
Te hic recognoſco, credo,
Amo, ploro quia lædo,
IMMENSAM MAJESTATEM.
Super mundum ad profundum
Inferorum procidens,
Ultra cælum mitto relum
Seraphinis invidens.
Te adoro corde lato,
Te deprecor pro peccato,
IMMENSAM BONITATEM.
O Præclara Agni Ara
Plena vero Numine,
O Altare Ignis mare
Ferveſcens in ſangvine.
Te adoro Angelorum,
Et cordibus viatorum,
IMMENSAM CHARITATEM.
O Lucerna Sempiterna!
O Sol ſole clarior,
In Te ſpecto cui flecto,
Et totus humilior.

O mi Sponſe tam præclare,
Tuam imploro ſpectare,
IMMENSAM CLARITATEM
Oratio ut ſupra.

VISITATIO III.

FIli DEI Empirei
Dominator Solij,
DEUS Agne hujus magne
Incola Tuguriij,
Rex quaſi incarcerate,
Noſtra vinctus Charitate,
In hoc lates angulo.
Tantum Numen tantum Lumen
In tanta caligine,
Tantus ignis tam inſignis
Gemma ſine lumine.
Huc huc Angelorum Chori,
Date cultus Salvatori,
In tanto ergaſtulo.
Homo divus Fænix vivus
In hoc ardet nidulo,
Olim ligno non benigno
Extinctus pro populo.
Scenam ſpecto Charitatis,
Hollocauſtum pro peccatis,
In Carne & Sangvine.
Hic in cultum ſterno vultum
Sterno caput pulveri,
To-

Totus ruo culpas luo
Totus poſco conteri.
Inter ardentes affectus,
Tundo caput, tundo pectus
Infimo in limine.
Oratio ut ſuprà.

VISITATIO IV.

O Immenſa Panis menſa
Aperta ad prandia,
Non egena Regis Cæna
Per quem uivunt omnia.
O conviva peccatorum,
JESU Cibus Angelorum,
Quo Te guſtu cupio.
Quo odode quo ſapore
Conditum convivium.
DEO Magno Chriſto Agno
Cor paſcis credentium.
Ad Te affectus immenſus,
Omnes trahit cordis ſenſus,
Ruunt cum tripudio.
O mi DEUS guſtus meus
Appetitu rumpitur,
Hunc hic urit quem eſurit
Cur fame perimitur.
Te da mihi & conſume,
Me adinſtar levis plumæ,
Raptæ in incendium.

Flagrem totus tuo potus
Sangvine flammigero,
Dignus fiam in hostiam
Coram Te DEO Vero.
Quali erga me amore,
Flagras pari sim fervore
Tibi Sacrificium.
Oratio supra.

VISITATIO V.

AVe Sponse hoc absconse
Sanctitatis thalamo,
Rex sub tecto hoc Te specto
Credo, adoro, amo.
Sol præ sole nube tectus,
Adamas nudis injectus,
Radias in paleis.
Fili DEI causa mei
Hæc teneris compede,
Plus Te cingo corde stringo
In hac amoris Sede.
Clemens meo sis dolori
Adauge vires amori,
Vulneribus igneis.
Tu castarum animarum
Rogus es triumphalis,
Panis vinum Tu Virginum
Parens es virtualis.

Ad

Ad hanc ſuſpiro ſcintillam,
Ad hanc ardeſco Mamillam,
Catullus famelicus.
Miſerere Panis vere
Gratiarum genitor,
Nectar menti fameſcenti
Te poſcenti frangitor.
Jam me velis ſatiare,
Nequid velit plus guſtare
Veni Panis Cælicus,
Oratio ſupra.

VISITATIO VI.

HOrtus florum Flos agrorum
Suæ Matris Lilium,
Paradiſus nobis viſus
Cælitum delicium.
Te adoro, amo, colo,
Univerſo ſolo polo
Per creata omnia.
Magnitudo Fortitudo
Pulchritudo maxima,
Panis vivus mellis rivus
Te fameſcens anima.
Ardens ſitit & eſurit,
Sed plus mentem ardor urit,
Tendens per incendia,
O mi JESU dulcis eſu
Paſtor atq; paſcua,
Pro peccatis in me natis
Hoſtia perpetua,

Tu

Tu virtutis infinitæ,
Et beatæ finis vitæ,
In rivis ſangvineis,
In Te ſpero DEO vero
Salvatore omnium,
Te ſuſpiro, Te requiro
Coronam bellantium;
Pietate tua fretus,
Te deprecor inquietus,
Tundens pectus malleis.
Oratio ſupra.

VISITATIO VII.

O Lucerna ſempiterna
O Sol ſole clarior,
In Te ſpecto cui flecto
Et cui humilior.
Pro illo triſti momento,
Hoc magno in Sacramento,
Te adoro protinus.
Tibi vale triumphale
Inſcribo marmoribus,
Et inſpiro æſtu miro
Ignes parietibus.
Ipſum hoc volo Altare
Amore tui flagrare
Pulvis ſit Seraphinus.
Fili DEI Pater rei
Et indigni Filij,

Te

Te adoro, Te exoro
Memor ſis martirij.
Quo in Cruce pro me preſſus,
Meruiſti per cupreſſus,
Mihi omen cælicum.
Per amarum lachrimarum
Te placo oceanum,
Tuos luctus meos fluctus
Collige in clibanum.
Et in Spiritus ardore,
Tuo me ſalva amore,
Sis Ipſe viatium.
Oratio ut ſupra.

PEREGRINATIO SPIRITUALIS
Cultus & Viſitatio D. JESU Chriſti in Monte Calvariæ Hieroſolymæ.

NOn figmentum monumentum
In loco Calvariæ,
Plenum triſti luctum Chriſti
Lachrimisq; MARIÆ.
Fronte vultu corde ore,
Oſculatus cum ardore,
Deploro exanimis.
Ploro Jeſum Corpus cæſum
Incarnati Numinis,
Ploro mortem Crucis ſortem
Vulnus magnum Hominis.

Et

Et velut in monumento,
Ubiq; in Sacramento,
Adoro cum lachrimis.
Salvatoris, Redemptoris
Hic cerno æraria,
Fascem totum plenum dotum
Virturum compendia.
Hæc dum miser recognosco,
Ardens oro, ploro, posco
Admitti ad pretium.
Vivens, cadens, ardens, madens
Deploro malitiam,
Ad amaram mortis aram
Oro, ploro, veniam.
O Cor, Caput, Manus, Pedes,
O tot Bonitatis Sedes
Adeste ad præmium.

CORONA
CORDIS
Tota Vita cruentati & afflicti
D. JESU CHRISTI.
10. *Laureolis Adornata.*

LAUREOLA I.

O Cor svave mille Ave
Tibi fero differo,
Te adoro in decoro
Divæ Matris Utero.

Tu

Tu primum vivens fuisti,
Statim rogus exarsisti,
Amoris pro homine.
Cor infantis æstuantis
In Deum affectibus,
Te in fæno fex in cæno
Placo meis fletibus.
O quantum Sacrificium,
Quantum pro me incendium,
Adoro in stramine.

O R A T I O.

O JESU mi! adoro & benedico Te in omni tam dulcedine, quàm amaritudine Cordis tui pro nobis erga Deum & coram Deo erga nos continuo æstuantis, Cum omni & in omni pondere actu & affectu ignitissimi tui amoris offero Te pro salute cordis mei & tuum Cor Sanctissimum Sanctissimæ Trinitati, in perenne ac continuum amoris, laudis & propitiationis Sacrificium. Ut per Te & à Te cordi meo promerearet obtineam saltim salutiferam in vita & morte mea contritionem & perpotuam erga Te & in Te charitatem.

L A U R E O L A II.

DUlce visus circumcisus
Cor plagam imperavit,
Divus Sangvis Virus angvis
In homine sanavit.

Hæc pro nobis Sanctissima,
Cordis cruenta victima,
Nostra urit pectora.
Salomonem Simeonem
Sol hic lætificavit,
Dum nos Diva semper viva
Flamma vivificavit.
Tu in manu Simeonis,
Christi Cor mille coronis,
In amore adora.
Oratio ut supra.

LAUREOLA III.

COr dolendum nobis flendum
Gladius Te sequitur,
Impostura in purpura
Contra Te instruitur.
Fuge o Rex Angelorum,
Fuge Heræs angulorum
Per mille cordolia.
I in templo pro exemplo
Venerari cælitem,
Patrem ora & adora
Habes semper comitem.
Cor pro nobis exardescit,
Erga tuum meum crescit,
Rependens incendia.
Oratio ut supra.

LAU-

LAUREOLA IV.

NAtat lumen ardet flumen
Quando DEI Filius
Fert Baptiſma nobis Chriſma
Depluit propitius,
Cor amat atq; amatur,
Cor placat atq; placatur,
Pro noſtro ſceleribus.
Per deſertum ſat diſertum
Verbum inſilentio,
Sed cor clamat quia amat
Nos ſine eloquio.
Amat Numen precando,
Et pro noſtris jejunando,
In cibis exceſſibus.

Oratio ut ſupra.

LAUREOLA V.

PAſtor bonus corde onus
Fert magis quàm corpore,
Lumen ſerit quod cor gerit
Dolet pro peccatore.
Quis loquetur miſerias:
Et quis miſericordias
Quas corde exhibuit.
Perditorum Peccatorum
Tu peccator maxime,
Dic indigne: tam benignæ
Gratus cordis victimæ.

Cane

Cane cordis clementiam,
Per Magdalenam Mariam,
Hanc tibi apperuit.
Oratio ut ſupra.

LAUREOLA VI.

MIrum ſane cor in pane
Præbuit hominibus,
Cor eſt cibus, cor omnibus
Eſca fameſcentibus,
Cor ad pedes acclinatum,
Lavat igne liquefactum,
Peccatorum maculas.
In ardore in pavore
Sudat medicamina,
Langvet pectus amor tectus
Erupit in flumina.
Præ amore peccatorum,
Cor mærorum tædiorum,
Omnes pellit nebulas.
Oratio ut ſupra.

LAUREOLA VII.

O Cor triſte jam te ſiſte
Centenis cohortibus,
Judas vadit ore tradit
Te millenis cædibus.
Accenſo perge amore,
Et ſalva nos in dolore,
Captivus in vinculis,

Siste vultum gemit multum & caput ludibrijs,
Jam properes ad carceres ardens in præcordijs
Ego tuũ cor captivũ, Martyrem adoro vivum
Plenis undæ oculis.
Oratio ut supra.

LAUREOLA VIII.

Quãta bella per flagella torquetur humanitas,
Cor nudatur flagellatur, cruciatur charitas.
Quam columna non prostravit,
Amor sangvine lavavit,
Tot apertis fontibus.
Cor in fontẽ urit frontem & in spinas projicit
Cor non bonam fert coronam
Quæ pungendo conficit. (us,
Ecce Homo amor meus, En in rubro ardet De-
Adoremus cultibus.
Oratio ut supra.

LAUREOLA IX.

Cordis tronus! Crux non onus
Crux amoris tessera,
Hanc dum gerit corda ferit charitas ignifera;
Est altare est & focus, Agnus victima non jocus
Ignes ferit brachijs.
Ictu gravi urunt clavi, cor in ipsis pedibus,
Fax amori crux corpori urit cor in manibus.
Video magnum Altare, Fac lachrimis mitigare
In his cor incendijs.
Oratio ut supra.

LAU-

LAUREOLA X.

Tribus horis ſax amoris arſit in ergaſtulo,
Tandem metam minus lætam ſe præbuit jaculo
Cur Longine telum tendis,
Plus accendis quam offendis
Ardet amore tui.
Mitte telum pande velum clama DEI Filium,
Clama Numen cordis lumen amoris prodigium
Noſtra corda feri telo,
Ut præ terra & præ Cælo,
Optent flammis obrui.

Oratio ut ſupra.

CONCLUSIO.

JESU mei cordis rei pretium delicium,
Tibi cado & cor trado fac dignum ad præmium
Pondere amoris tui, & tui cordis obrui,
Ignibus deſidero.
Eſto vita infinita cordi meo mortuo,
Clemens eſto tam moleſto ploranti continuo.
Ut Te poſſim deprecari, & corde tuo lætari,
Meum Tuo contero.

Salutatio D. J. Chriſti ad aſpectu ejus

AVe & ſalve dulciſſime JESU Chriſte in omni cultu & affectu amoris Totius Sanctiſſimæ Trinitatis, immediate per ſe, mediate per omnes Creaturas in Te continuo & perpetuo æſtuantis ac Tibi Tua merita & Vulnera tota immenſitate ſua recompenſantis. Toto incendio humanæ Angelicæ Marianæ Charitatis ſaluto, adoro, benedico, amo Te ſemel pro ſemper in æternum.

)(o)(

DEUS
Propitius esto mihi
PECCATORI.

In hac brevi pænitentiæ tessera subintelligantur actus sequentes, & affectus supereminentes Animam sic bene affectam etiam sine purgatorio in Cælum potentes dirigere.

Præmitto advertenda.

1mò. T*Antam esse erga nos peccatores in vim meritorum Christi misericordiæ Copiam; ut nos pro uno supereminenti & supernaturali actu doloris & amoris dignetur cum Magdalena &c: justificare. Non avidius flamma ignis rapit in se projectum stramen, ut misericordia Dei ad se conversos peccatores.* SS. DD.

2dò. *Multa exempla publica testantur: Peccatores in uno supereminenti actu pænitentiæ fatiscentes, etiam sine purgatorio in Celos transiisse.*

3tiò. *Credamus & fidamus eundem Nobis esse mitem Pastorem & Agnum Christum, qui peccatores recipiebat uti Magdalenam Pedes lavantem, Petrum flentem, Dismam suspiran-*

 tem

tem &c: Ideo hac præmissa fide & spe: Exclama rugiens præ dolore & suspira:

DEUS propitius esto mihi &c:

Sensus suspirij hujus.

1mò. Suspiro ad Te in unione suspiriorum Domini JESU Christi, quibus ille pro peccatis nostris totâ vitâ gemens & pænitens suspiravit.

2dò. Suspiro ad Te in unione suspiriorum, quibus pro nobis suspiravit per omnem ductum Passionis suæ, incipiendo à monte oliveti, currendo vias duras dolorum & opprobriorum usq; ad montem Calvariæ, sub quo vix non jam extremo spirabat anhelitu.

3tiò. Suspiro ad Te in unione amarissimorum in Cruce suspiriorum, præcipue in unione illius ultimi anhelitus & suspirij, in quo extortam de Corpore attrito Animam exhalans, illam tibi ultimum amoris & placationis nostræ sacrificium consecravit.

In hoc incendiorum incendium & sacrificiorum sacrificium hunc primum & in hora mortis meæ, ultimum meum exhalo spiritum, inspiro suspirium.

DE-

DEUS propitius esto mihi &c:

IN hoc actu o tremendissime Judex! o Pater amabilissime! o Domine meus! & DEUS meus: Sistor Tibi filius prodigus ovis perdita! creatura creaturarum perditissima: Sistor Tibi reus debitor, & obæratus, pejor Lucipero rebelli, in catena propriæ meæ voluntatis, à Te justissimè profligandus, arguendus, reprobandus! Quem Tu ex immensa Paterna Bonitate & misericordia reprobare noluisti. Sistor Tibi & ruo totus miser in totum misericordem: Abissus malitiæ & miseriæ in abissum misericordiæ: stilla lachrimæ amaræ in oceanum dulcedinis: Convertor ad Te, respicio & suspiro ad Te, quasi ovis de ore Leonis, quasi pendens super abissum perditionis, quasi stipula tremens ad incendium iræ tuæ gravi exclamans suspirio: *DEUS propitius &c:*

Jam jam totvs redeo ad Cor! ad Te Cor & Amor omnium! Cor & Amor meus & DEUS meus! & immenso rugitu & ejulatu clamo: Quantùm amo! sero Te cognovi! serò Te amavi! Pulchritudo! Væ tempori quo Te non amavi! Væ mihi! si Cælum & terra transirent à

me cum privatione omnium bonorum ſuorum! ſi tota tartara inferorum abſorberent me, non plus dolerem & gemerem, quàm doleo, gemo, clamo: *Væ tempori quo Te non amavi.*

Et jam o DEVS mi! o Amor mi!

Plus quàm ſe valuit & voluit ſuperextendere malitia mea contra Te, plus! amplius! & infinities ultra jam nunc pro nunc & pro omni momento vitæ meæ, & pro omni momento æternitatis extendit ſe dolor & amor meus.

Peccavi nimium toto plus peſſimus orbe,
Ah doleo nimium!
Plus amo plusq́; fleo.

Et ſi me ſic permiſeris æternaliter vivere & pœnitere, creſcentibus per dies & momenta luctibus & affectibus in immenſum, ſic volo æternaliter flere, dolere & amare. Sæcula dolorum & amorũ omnium, æternaliter Tibi debitorum, volo ſingulis momentis uno hoc inſpirare ſuſpirio.

DEUS propitius eſto mihi &c:

TU ſcis o Domine DEUS Amor Paterq́; meus, quia jam totus ruo in Te, recurro ad Te, ſic toto me deſidero

Te,

Te, ſpero & ſuſpiro ad Te. Amo & ſuperamo Te: ſic toto me, ac toto univerſo contero me ad cineres comprimo ad lachrimas. Pectus tundo meum Cor ferioq; meum. *DEUS propitius eſto &c:*

Tundo pectus ferio cor

Immenſo & immenſo pondere

Quia imò.

POndere Immenſæ tuæ Majeſtatis & Bonitatis Divinæ: Quantùm Te recognoſco. Credo & confiteor immenſum Majeſtate DEUM, qua nulla datur & dari poteſt excellentior. Immenſum Bonitate Patrem, qua nulla poteſt dari nec cogitari amabilior: In tantum immenſo pudore afficior & conficior dolore, exæſtuo amore præ amore gemens & emoriens præ dolore, quod tantam Majeſtatem Bonitatemq; auſim offendere: Ah væ tempori. Ceſſet væ in inferno, mihi væ & meminiſſe tot criminum læſæ tantæ in Bonitate Majeſtatis.

Ah jam jam in æternum.

Martyr amoris ego! doleo peccaſſe Deumq;
Offendiſſe meum! ſemper amandus erat.
Cor, oculos lachrimasq; gerant quæcunq; creata
Unus amoris ego! ſumma doloris ego.

Premit me tantæ Majeſtas dignitatis quàm Angeli, adorantes concremiſcunt, & ego illam tam irreverenter offendebam. Premit me tantæ immenſitas Bonitatis quam nec Seraphim digne amare ſufficiunt, & ego hanc malitioſe bonis creatis poſtponens ſine fine irritabam: Ah doleo peccaſſe immenſitatem offenſarum immenſo & æterno cupio cultu & affectu rependere.

Et jam o DEUS Ter Maxime!
O Pater Ter Optime!

Contraho & attraho in cor meum de omni Corde Angelico, humano, Mariano: De Corde Divino Humano JESU Chr: Imò, (o utinam digne valeam) de ipſo tuo Corde tota immenſæ continuæ & æternæ Charitatis incendia, hæc tibi ſemel pro ſemper inceſſabiliter & inſatiabiliter pro omni inſufficientia, negligentia & malitia mea contribuo, offero & conſecro gemens, dolens & exclamans: *DEUS propitius eſto mibi &c:*

2dò.

O DEUS! o amo Te!

Et ideo pectus tundo meum, cor terioq; meum.

IMmenſo pondere omnium & ſingularum perfectionum tuarũ, Divino cultu

& affectu adorandarum & amabilium. Ferit me & terit cinerem Immensa tua Omnipotentia qua creasti me. Tua Bonitas & Charitas qua conservasti ac redemisti me. Tua immensa Pulchritudo supereminens cunctis, Tua immensa Sapientia ac Providentia, disponens omnia tam sapienter & svaviter. Confundit peccatorem tanta Sanctitas, terret Justitia, urit Gratia, lique facit misericordia. Has & innumeras Bonitates & perfectiones tuas uti divinas juste & condigne colere, laudare & amare debueram, & ego peccabam in omnes, juste premor ab omnibus, omnibus me reum submitto! ad singulas cum lachrimis supplicando. DEUS Summa Omnipotentia! miserere mei. DEUS Summa Bonitas! miserere mei. DEUS &c:

3tiò.

O DEUS! o amo Te!

Et ideo tundo pectus corērioq; meum.

IMmenso pondere, quia immensa magnitudine & multitudine gratiarum & misericordiarum Dei Patris, Dei Filij, Dei Spiritus S. O quot montes quasi adamantum stant super me arguunt, &

con-

confundunt me Immensæ ingratitudinis in tantum Benefactorem & Miseratorem Dominum toties Patrem quoties me interimere potuit peccatorem & servavit ad vitam invitat ad gloriam: Hoc ipsum pondus ultra pondera plus & gravius obruit me & conterit ad cineres opprimit ad lachrimas. O saltem tot fontes lachrimarum effundite oculi mei, saltem tot momenta in dolore transige anima mea quot vitas invitas & in vita beneficentias & misericordias Domini, de Corde totius Sanctissimæ Trinitatis, de Corde & Vulneribus Pastoris Boni, qui nec Animam suam pro te expendere recusavit, in dies exhausisti. Tot reus debitorum quot ingratissimus gratiarum. Ideo hoc ipso pondere gratiarum. Tundo pectus meum toties & millies quoties bona Domini in me recognosco. *DEUS propitius esto mihi &c:*

4tò.

O DEUS! o amo Te!

Et ideo tundo pectus cor ferioq. meum.

IMmenso pondere amoris Domini JESU Christi Salvatoris mei. Magnum est pondus amoris Amor. Hoc est pondus

quo

quo tacta Magdalena, Petrus &c: fleverunt amare. Jam o JESU mi! o Amor mi! nolo me montes vesuvij aut sulphureæ tartarorum abissi obruant & perimant dolore Cadat in me Cor tuum, Cor cordium, Ignis ignium. Hoc ego tundo pectus continuo cor serioq; meum: Cadat in me Mens tua quasi mons Ignis dilectionis, qua me ab æterno dilexisti, & plus quàm Te, quia incarnari, nasci, pati, mori voluisti pro me. Cadat in me rupes Bethleemica Lachrimis innocentissimis satis pota. Cadat in me mons Thabor, mons oliveti. Columna flagellorum, Sedes spinarum, Mons tandem Calvariæ cum scissis rupibus cum fenebrali Capite conterat me obruat me. Hoc ego me toto redemptionis pondere contero ad cineres comprimo ad lachrimas, *DEUS propitius esto mihi &c:*

fto.

O DEUS! o amo Te.

Et ideo tundo pectus cor serioq; meum.

TOto fasciculo mirrhæ: Incendio thuris: Calice Lachrimarum Sudorum & Sangvinis D. JESU Christi, Beatissimæ Virginis, Omnium Sanctorum ac Fidelium dolorose pænitentium.

Fascieulus mirrhæ est totus dilectus meus Amor Crucifixus. Est illud Caput aurum optimum vulnus maximum Cor in hasta membra in flagellis, manus pedesq; in clavis: & est pondus supra pondera maximum. Mors & Anima pretiosa Domini JESU Christi Redemptoris mei, qui non in auro sed in tali thesauro posuit redemptionem meam.

Fasciculus mirrhæ est summa dolorum instrumentorum, vestigiorum, viarum vitæ & passionis ejus, Crux cum clavis & hastis, fllagella cum spinis, catenæ cum funibus, etiam arundo hic graviter tundit pectus corq; ferit meum.

Fasciculus mirrhæ est summa dolorum mortificationum Cordis, in gladiis Cordis & Animæ dolorosæ Matris, & Omnium Sanctorum Apostolorum, Martyrum, Confessorum, ac dolorosissime intus & ab extra pænitentium. In hunc ego totum fasciculum mirrhæ in hoc ærarium ærariorum projicio nunc semel pro semper me totum cum omni ægestate mea tot debitis abærrata: Ploro millena peccata millenis oculis, quia tot vulneribus JESU Christi ac ipse præ magno Cordis vulnere posco mori: Ploro millena peccata millenis fontibus, quia tot tantisq; effu-

fionis

sionis sudorum, Lachrimarum & Sangvinis Christi, Beatissimæ Virginis & omniū Beatorum immergo me, abluo me, imbuo me, toto hoc diluvio coram Te delectabili. Exsolvo millena debita incomparabiliter majori pretio, quia toto ærario Crucis, Sangvinis, Vitæ & Mortis innocentissimi Corporis & Animæ Agni JESU Christi, Mariæ &c:

DEUS propitius esto mihi:

Tundo pectus cor terioq; meum.

TOto incendio thuris quod est Cor & totum Corpus & Anima Domini JESU Christi, vere DEUS, Ignis à DEO missus in terram ut accendatur & continuo pro me & pro omni insufficientia negligentia, & malitia nostra exæstuans. In Laboribus tot jejuniis orationibus cultibus & affectibus semper continuum pro nobis sacrificium, victima amoris & hollocaustum. Hoc incendium thuris per Cor Domini JESU Christi dilatatum est mediate per Cor B. V. MARIÆ Angelorum, Omnium Sanctorum ac Fidelium & nunc tam in Cælo quàm in terra dilatatur & dilatabitur hic ad diem Judicij, per Virtutum tot Christiformia exempla

cultu-

cultuum affectuumq; exercitio. In Cælo crescet & dilatabitur in æternum. In hoc incendium thuris semel pro semper projicio velut stipulas corpus animam meam suscipe o DEUS saltem ardens & dolorosum suspirium meum quod Tibi in æternum nunc in hoc toto incendio superaccendo.

Amo Te DEUS super omnia! toto incendio humanæ, Angelicæ, Marianæ, Divino Humanæ ac Tuæ ipsius Divinæ continuæ ac perpetuæ immediate in Te, per Te mediate, per omnes creaturas exæstuantis Charitatis.

In hoc incendium thuris condemno & reprobo omnem insufficientiam, negligentiam & turpitudinem peccatorum meorum. *DEUS propitius esto &c.*

6to.

O DEUS! o amo Te!

Et ideo pectus tundo meum cor frerioq; meum.

IDq; toto me, toto universo. Tota machina mundi, tot misteriis Sacramentis, meritis JESU Christi & Omnium Sanctorum consecratâ. O si omnia saxa & arenæ, guttæ, stipulæ, rami folia & radices, sidera & radij flammæ & scintillæ, venti

& nu

& nubes. In corda Filiorum Abrahæ, imo in Corda Seraphica aut Christifera ipso Corde JESU Christi vivificata & consecrata convertere possem. Omnibus his contererem cor meum in compunctionem & inflammarem ad amorem.

Quinimò. Sicut ego peccator miser omnes plane creaturas trahebam in obsequium peccatorum, sic omnes Seraphico imo ipsius Christi Corde & affectu inflammando contraho in subsidium doloris, amoris, & satisfactionis in immensum: serviant ad flammas, serviant ad lachrimas. Totus mihi sic in flammis, totus in lachrimis mundus sit malleus cordis & saxum pro saxo Hieronimi quo tundens pectus ingemisco: *DEUS propitius esto mihi &c.*

7mò.

O DEUS! o amo Te!

Et ideo tundo pectus, corferioq; meum.

IMmenso pondere meritorum, virtutum, cultuum & affectuum totius Ecclesiæ triumphantis ac militantis Corde Domini JESU Christi & Spiritu ejus comparato & amplius comparando, mihiq; ad meritum concesso & communicabili

cabili thesauro Sacramentorum, Indulgentiarum ac Sacrificiorum. In fide insuperabili, spe invicta, charitate intima & identica cum omnibus utriusq; Ecclesiæ in uno Corpore Christi congregatis.

Tundo pectus meum toto pondere Sacratissimorum Altarium Sacramentorum & Sacrificiorum in Corpore & Sangvine JESU Christi consecratorum & continuo, præcipue die mortis & sepulturæ meæ, per totum mundum consecrandorum, in unione continuo se in Cælo, toto Cælo cum omni Angelorum ac Beatorum ministerio sacrificantis ac sacrificaturi Sacrificij Summi Sacerdotis D. JESU Christi. In unione quasi in incendio uno cultuum & affectuum omnium in terra hæc sacrificia Christi sacrificantium ministrantium assistentium ad ea piis fundationibus concurrentium. Ad quævis hæc Sacrosancta Altaria & Sacrificia flectens genua & caput ad cineres una cado victima & Sacrificium pro peccatis. Ubiq; campana sonans tuba gemens:

DEUS propitius esto mihi &c:

gvè.

8vò.

O DEUS! o amo Te!

Et ideo tundo pectus corErioq; meum.

OMni pondere lachrimarum & toto incendio cultuum & affectuum Corde cordium, Igne ignium, omnium toto universo pænitentium: Unus amoris ego summa doloris ego. Unum opto ex omnibus oculis cordibusq; esse nunc in æternum lachrimarum diluvium. Unum amoris & cultus omnimodi incendium & sacrificium. Et tota hac summa amoris & doloris pænitentiæ & satisfactionis ærario tundo pectus cor ferioq; meum.

DEUS propitius esto mihi &c:

9nò.

O DEUS o amo Te!

Et ideo tundo pectus cor ferioq; meum.

TOta Ecclesia seu Congregatione Fidelium Tibi sacrificantium Te colentium, Te deprecantium, Te precantium. Tota sanctitate, virtute, & perfectione Christiformi. Omnium Religionum, Congregationum, Societatum, Confraternitatum: Cum quibus omnibus & singulis me semel pro semper conjungo, necto

& unio,

& unio, cum illis, & in illis conficiens exequens omnia Christiformis charitatis opera comprobans, & quasi uno corde & spiritu cum illis & in illis perficiens omnes cultus & affectus tibi lege, voto, beneplacito, debitos & obligatos, uno fœdere votorum, unum cor & spiritus, unus amo Te, benedico Te, placo ac deprecor Te DEUS Pater, DEUS Fili, DEUS Spiritus S. Cum S. Patre Francisco, & tota ejus Seraphica collectione exclamans & supplicans :

In Nomine JESU Christi Nazareni Regis Judæorum esto placabilis super multitudine peccatorum meorum, & fac me ab illis emundari.

Magis tam parcere pronum Numen amo.

Oratio satisfactoria multum.

CLementissime Deus! pro omni insufficientia, negligentia ac malitia mea: offero Tibi gemitum & dolorem cordis mei ac humilem pænitentiam *N. vg:* Jejunium, & in unione pænitentiæ omnis primorũ Parentũ pro peccatis ex se natis omniumq; pænitentium: In unione pænitentiæ 30. annorum D. JESU Christi & amarissimæ à horto ad montem & Crucẽ Calvariæ, Vulneribus, sudoribus ac Sangvine copiosissimæ, Morte Corporis & Animæ dolorosissimæ ardoribus cõsecratæ.

FERIA SEXTA MAGNA

Vel quælibet quasi magna
Majori & majori cultu & affectu
Magno quia Crucifixo, Mortuo & Sepulto Amori

D. JESU CHRISTI
DEVOTISSIMA.

INVITATORIUM.

Cura te in eo affectu diem hanc sextam incipere in luctu in quo D. J. Christus illa extrema die eductus de carcere in mortiferos ultimæ illius diei Cruciatus se resolvebat, ac illam ultimam mortis Tuæ diem amaram & horrendam cum omnibus timoribus recommenda.

Invitatorium matutinum.

Regem Dolorum Dominum (percurre illos mente flagellatum Coron:)
Venite adoremus.

VEnite & ploremus Domino, & gemamus præ dolore DEO Salutari nostro, præoccupemus Faciem ejus in Confessione & in lachrimis parentemus illi.
Regem dolorum D. Venite &c.

Quoniam vere est iste Filius DEI, qui Animam suam posuit pro hominibus. Quoniam non repellet Dominus plebem suam, quam tam pretioso sangvine re-

 demit.

demit. Et infirmitatem noſtram ipſe conſpicit. *Venite adoremus.*

Quoniam ipſius eſt mare ſangvinis & ipſe fudit illud, & aridam ſangvine rigaverunt manus & pedes ejus. Venite adoremus & ptocidamus ante tronum mortis ejus, quia ipſe eſt Redemptor Noſter, nos autem oves occiſionis, labor & pretium ſangvinis ejus.

Regem dolorum D. Venite adoremus.

Hodie ſi voçem ejus audieritis nolite obdurare corda veſtra. Quoniam petræſciſſæ ſunt in occubitu ejus ideo percutientes pectora veſtra plorate pro peccatis.

Venite adoremus.

Triginta tribus annis proximus tibi fui & ſemper quæſivi te Paſtor bonus. Tu vero non cognoviſti vias meas, ſaltem nunc introito in requiem meam, quando ego pro te in tumulo requievi.

Regem dolorum D. Venite &c:

Gloria Patri &c: *Venite adoremus.*

PLANCTUS I.

MOrtem Chriſti corde triſti
Adoremus miſeri,
Mortis prædæ ignis Thædæ
Quem ſuccendunt inferi.
Ut nos per ſuam mortem
Tollat ad bonam ſortem.

Mors

Mors crudelis fons Angelis
Lachrimarum fuiſti,
Nobis tamen es ſolamen
Quia mortem viciſti,
Tollendo Adæ peccatum,
Nobis vivere datum.
Pater noſter & Ave Maria.

PLANCTUS II.

TRina hora omni Mora
Quantum Te cruciavit,
JESU bone in agone
Dolore ampliavit.
Heu per quanta tormenta
Permearunt momenta
Trahebantur torquebantur
Venæ cum viſceribus.
Rumpebantur ſecabantur,
oſtia vulneribus.
Oſſaq; diſſidebant,
Quæ vix clavi tenebant.
Pater noſter Ave Maria.

PLANCTUS III.

QUantus ludus Rex tam nudus
objectus latronibus,
Urunt Venti dolor Menti
Langvor cordis viribus.
In tanto gravamine eſt ſine levamine.

 Lan-

Langvent vires o ſi ſcires
Mortis ſunt præludia,
Corpus aret fonte caret
Madeſcunt veſtigia.
En quaſi de flumine
Crux manavit ſangvine.
Pater noſter: Ave Maria &c:

PLANCTUS IV.

SUmmus dolor nullus color
Vultui articulis,
In contuſis & confuſis
Lumen langvet oculis.
Vivæ mortis ſcenæ pulchræ pallent genæ.
Caput cadit Patri tradit
Jam extremum Spiritum,
Vis emota carne tota
Vix trahit anhelitum,
Moritur Rex meus, Sponſus Pater meus.
Pater noſter: Ave Maria &c:

PLANCTUS V.

COr in telo donat Cælo
Cruciatam Animam,
Homo pro te habes dote
Conſecratam victimam.
Lux mihi ſis in via, O Chriſti agonia.
JESU Pie in MARIÆ
Synu jam depoſite.

In

In momento in tormento
In periculo vitæ
Sis mihi tam patiens quâm fuiſti moriens
Pater noſter Ave Maria &c:

OBLATIO.

TUæ Morti imbres orti
Applaudunt in oculis,
JESU meæ mortis reæ
Succurre periculis.
Per tuam agoniam clamo peto veniam.
Paſtor bone in agone
Tuum affla Spiritum,
Rectifica vivifica
Tuo meum perditum,
Sis mihi in termino
JESUS Te ingemino.

Prodigium Amoris,

O Immenſe DEUS Judex meus: Reſpice & recipe à me Immenſæ Charitatis prodigia quæ Tibi ex corde meo repreſento & offero. DEUS Homo factus Incarnatus, Crucifixus; mortuus & ſepultus. Peccator ego ad Te converſus cado in ſacrificio ſacrificiorum Domini JESU Chriſti Hoſtia ad placandum. Per Ipſum, in Ipſo & cum Ipſo miſerere mei.

BENEDICTIONES QUINQUE,

In & pro omni Anima

ANIMÆ D. JESU CHRISTI,

Continuo pro nobis amore humilitate patientia pœnitentia &c: pro nobis consecratæ ac sese consecrantis.

BENEDICTIO I.

Deus in adjut: &c: Gloria P. &c:

BEnedic anima mea
JESU Christi Animæ,
Totius mundi trophæa
Dato invictissimæ,
Tristi tam in stabulo,
Quàm post in patibulo.
Vix creata jam est nata
Imago Deitatis.
Vix concepta jam adepta
Gloriam Deitatis.
Arsit coram Numine,
Misero pro Homine.

Bonus sum Paster! Animam meam do pro ovibus meis.

ORATIO.

CReator animæ meæ DEUS pro omni insufficientia, negligentia, malitiaæ

aı jm

animæ meæ Tibi ingratiſſimæ. Offero Tibi grande, continuum & perpetuum in Corde & Corpore Sactificium Animæ D. JESU Chriſti, cum omni intenſione & extenſione cultuum & affectuum cum omni ſanctitate & ardore virtutum amoris, laudis, gratitudinis, obedientiæ, pœnitentiæ, humilitatis & quas Tibi à primo inſtanti conceptionis uſq; ad illud ultimum, ſuſpirium exhibuit quando Tibi Spiritum ſuum in æternum amoris & deprecationis pignus in manus reddidit & conſecravit. Per hanc innocentisſimam victimam Filij tui deprecor Te pro ſalute animæ meæ peccatricis. O Bone Paſtor JESU mi! pone illam nunc pone in hora mortis meæ pro anima mea. Cui nunc me cum anima mea æternaliter recommendo.

BENEDICTIO II.

BEnedic anima mea
JESU Chriſti Animæ,
Nam quorum es DEO rea
Exſolvit largiſſime,
Ipſo JESU Nomine
Suſcepto cum ſangvine.
Senſit vulnus circumciſum
Flevit ad prophetias.

Non

Non novit in mundo risum
Exul ad miserias.
Semper culpas doluit
Semper mori voluit.
Pastor sum bonus &c: Oratio ut supra.
Vel brevius. *Pater de Cœlis DEUS per omnia Sacrificia Animæ JESU Christi misere animæ meæ peccatricis.*

JESU per tuam Animam
Salva meam miserrimam.

BENEDICTIO III.

ANima benedic mea
JESU Christi Animæ,
Virtutes posce ab ea
Tibi perditissimæ.
Admirare humilem,
DEO tam flexibilem.
Divam mentem obsequentem
Patri Matri subditam,
Ama cole tam ferventem
Quærere Te perditam.
Et cum Corpore vitam
Crucibus expositam.
Pastor sum bonus &c: & Oratio.

BENEDICTIO IV.

ANima benedic mea
Animæ JESU Christi,
In procella sangvinea
Natat in luctu tristi.

Præ metu & mærore
Vix manet in Corpore.
Sentit alapas & ſputa
Gemit ſpinas flagella,
Omni cultu deſtituta
Ceu in maris procella.
Inter tot diluvia
Patitur naufragia.
Paſtor ſum &c: Oratio.

BENEDICTIO V.

BEnedic anima mea
JESU Chriſti Animæ
Illi Regna Empirea
Vove ferventiſſime.
Jam mortis in tempore
Solvitur à Corpore.
Jam cruento preſſa fato
Rumpit vincla intima.
Cadit pro noſtro peccato
Hoſtia Sanctiſſima,
Pergit in Paradiſum
Trahens Diſmam gaviſum.
Jam mens meæ huic menti
Sociari poſtula,
Redde illi te poſcenti
Cor tuum pro facula.
Illum ſcutum ponito,
Cordi tuo perdito.
Paſtor ſum &c: Oratio ſupra.

SALUTATIO
SSmæ Animæ D. JESU Christi.

SAluto, adoro, benedico Te millies & infinities semel pro semper o Abissus deliciarum Deitatis totius Sanctissima Anima JESU Christi. In omni cultu & affectu, quo Te tota Sanctissima Trinitas in virtute Spiritus S. benedicit & glorificat continuo sicq; perpetuo glorificabit. Infundo hoc ipso actu & cultu in Te omne delectamentum tuæ totius Divinitatis quo Te hæc immediate per se & mediate per omnes creaturas beatificans tibi omnes virtutes & merita recompensat. Tibi me in abissum misericordiæ cum tota miseria animæ meæ, æternaliter insinuo & recommendo.

Adverte benevole Lector.

Simili affectu, cum S. Augustino potes salutare Caput, Cor, Manus, Pedes, & quævis Vulnera Christi.

SAluto Te *vel Vos* in Amore SS. Trinitatis in cultu & affectu omnium creaturarum Divino Spiritu erga vos æstuantium: Infundo in vos omnes compassiones, passiones, patientium vobiscum aut pœnitentium, idq; per Cor B. V. MARIÆ. Infundo omne delectamentum cordis quo præposito sustinuisti Crucem,

cem, quod habes & habebis in omnibus ſalvandis & ſalvatis, præcipue N.N. *vg:* Magd: Tereſ: Gertrudis &c. Infundo in vos omne delectamentum Divinitatis &c:

CORONA
Septem Roſarum Cordis Sangvini D. JESU Chriſti.

DEUS in adjut: &c: Gloria P. &c:

ROSA I.

ADoremus fontem Divum,
In Sangvine DEUM Vivum
Primum Sacrificium.
Quando Infans Circumciſus,
In Sangvine nobis viſus,
Amoris diluvium.

Quos pretioſo Sangvine redemiſti, æterna fac cum Sanctis tuis in gloria numerari.

ORATIO.

PAter de Cælis DEUS offero Tibi Sacrificium Sangvinis D. JESU Chriſti effuſi in circumciſione. In Sacrificium laudis propitiationis & meriti in æternum.

Si placet: Pater noſter &c:

ROSA II.

DEUS in adjut: &c: Gloria &c:

ADoremus in Sudore,
In timore & mærore,
Effuſum martirium.

Corpus vix jam non ex sangve,
Medelam Adæ pro angve
Fac tuum remedium
Versus ut supra & Oratio immutando sangvinis effusi in sudore.

ROSA III.

ADoremus ad columnam
Cruentam Christi ærumnam
Agnum lotum sangvine.
Vulnerum dolorum satur,
In cruore volutatur,
Flendus omni flumine.
Versus, Oratio. Effusi ad Columnam.

ROSA IV.

ADoremus in Corona,
Sangvinis tot nobis dona,
Debitorum pretium.
Manat à fronte ad pedes,
Defle miser tantas cædes
Dans Regi humagium.
Versus &c. Effusi ad Coronam.

ROSA V.

ADoremus in benigno,
Sangvinem extortum ligno,
De contractis brachiis.
En grande pondus cruorem,
Sangvineumq; sudorem,
Extorquens fundit viis.

RO-

ROSA VI.

ADoremus ſuper Crucem,
Extenſum in clavis Ducem
Tot fontes effundere,
Plango Corpus in dolore,
Manus, pedes in cruore,
Pelagus in vulnere.

ROSA VII.

ADoremus mortis montem,
Ultimum Sanctum per fontem
Qui fluxit de Latere,
Jam hic velut mare ploro,
Mari mare mergi volo
Et ceu nix diffluere.

CORONIS.

MAgne DEUS Judex meus
Cenſum Tibi reddo reus
Sangvinis ærarium.
Pro peccatis flens amare,
Fundo lachrimarum mare
Et cordis incendium.

CORONA HONORIS
Crucifixi D. N. JESU Chriſti.

DEUS in adjut: &c: Gloria Patri &c:

Hymnus 1mus.

LUmen legis Honor Regis
JESUS Rex præ Regibus,
Pau-

Pauper natus reputatus
Comes animalibus,
In tanto faſtigio, Exul domicilio.
Per tot menſes fugit enſes per terras volutatur
Per Doctores fert honores brevi obliteratur,
Subditus Parentibus, Quis! Deus hominibus.

Oratio.

O Dulciſſime JESU Chriſte Fili Dei, omni debito ac poſſibili cultu, actu & affectu adoro, benedico, amo, glorifico Te pro omni illo uſq; ad exinanitionē honoris tui, diſpendio & per omnem patientiam & humilitatem tuam ſuplex exoro fac me ab extrema vitæ & mortis ignonimia liberatum cum Sanctis tuis in gloria numerari.

Hymnus 2.

Fert honorem per amorem Patris in baptiſmate
Poſt probatur & taxatur pluſquam in numiſſmate,
Inter tot blaſphamias patitur miſerias.
Per odium in pretium à Juda expoſitus,
Venundatus captivatus ſputis pugnis ſubditus.
Cum qua ignonimia Patitur Ludibria.

Oratio ut ſupra.

Hymnus 3*tius.*

Quo honore quo decore alapas ſuſtinuit,
Quali cultu divo vultu apud Caipham gemuit,
Rex incarceratus DEUS blaſphematus.

Fert

Fert catenã non amenã triste mortis præmium
Accusatur proclamatur hominũ opprobrium,
Alba veste tegitur, turpiter despicitur.
Oratio supra.

Hymnus 4tus.

Ad columnã quam ærumnã honor ejus patitur,
Tanquã latro flagro atro Rex Sanctorũ cæditur
Nulla verecundia nulla reverentia.
Purpurata coronata Majestas in vepribus,
Sceptra gerit quæ pes terit in stagni littoribus.
Ave, salve Rex Regum, Ave o Doctor legum.
Oratio supra.

Hymnus 5tus.

Ecce Homo ullo tomo de tali non legitur,
Ecce Abba præ Barabba ad mortem decernitur
Ecce Dei Filius, plusquam quis nefarius.
In clamore in stridore in mille verberibus,
Crucem gerit saxa terit, sudat in gemitibus.
Sic nec bos opprimitur, ut hic Agnus teritur.
Oratio supra.

Hymnus 6tus.

Vide ludũ corpus nudũ in Crucem extenditur,
Madet rore in dolore dum pes manus cuditur.
Jam absterge oculum videre spectaculum.
Ecce Regem ante gregem tractatur blasphemiis
Risus troni & latroni crescit ignominiis.
Heu quã nuda Majestas o quam fracta potestas.
Oratio supra.

Hy-

Hymnus 7mus.

Postpositus destitutus omni cultu Numinis,
Quis applaudit & quis audit
Bonum Nomen Hominis.
Sol tarde perorat quod lumen deplorat.
Rex Judeæ Galileæ in spineto moreris,
Mei præsto memor esto cum in Regno sederis.
Propter summum honorem
Non dimitte amorem.

Oratio supra.

Conclusio.

FLecto pronum ante Tronum
Crucis tuæ poplitem,
Gemo, amo, oro, clamo
Fac me troni comitem,
Nunc Crucis post cælestis,
Fiam gloriæ testis.
Me de luto parem bruto
Eleva ad gratiam,
Qui despectum per affectum
Te canit ad gloriam.
O JESU DEI Fili,
Clemens sis servo vili.

HEBDOMAS SANCTA,
OFFICIOSÆ DEVOTIONIS.

OFFICIUM Vere Pænitentium, De Misericordia D. DEI T. O. M.

Domine labia mea aperies &c:
DEUS in adjut: &c: Gloria Patri &c:

HYMNUS.

CAntabo Domini misericordias,
Narrabo homini meas miserias.
Quis sicut Dominus DEUS Clementiæ?
Quis sicut filius ego nequitiæ?
Illum propterea amabo fortius,
Et quod offenderim flebo ardentius.
O si continuum fiam diluvium;
O si perpetuum fiam incendium.

℣. *Miserere mei DEUS secundum Misericordiam tuam. Et secundum magnam multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam.*

Domine exaudi orationem meam. Et clamor &c:

Oremus.

PEr Cor & Vulnera D. JESU Christi deprecor Clementissime DEUS tuam

immensam super me peccatorem Misericordiam, ut sis placabilis in finem super malitia peccatorum meorum, & non permittas me in illis interire. DEUS in Nomine tuo, & in Nomine D. JESU Christi Nazareni Regis Judæorum salvum me fac per D. Jesum Christum Filium tuum, qui Tecum vivit & regnat &c:

DEUS in adjut: &c: Gloria P. &c:

LAudate Dominum Sanctum Justitia,
Sed in me divitem misericordia.
Lingvas assumite astra & nemora,
Saxa & æquora, aves & pecora.
DEO sit Gloria Patri piissimo,
Dolor confusio mihi nequissimo.
Os mundus totus sit & cor Seraphicum,
DEO pro me canat æternum canticũ.
Versus, Oratio supra.

DEUS in adjut: Gloria Patri &c:

PEccavi nimium quo miser fugiam,
Plorabo nimium gemam & rugiam.
Hunc, qui me condidit, quærã in lachrimis
Rubens in sangvine cadam exanimis.
Qui pro me vulnera & mortem subiit,
Placabo lachrimis jam imber rediit.
Exhaustis lachrimis plorabo sangvine,
Jam mari diffluo, quovis pro crimine.
Versus & Oratio supra. *DE-*

DEUS in adjut: &c: Gloria Patri &c:

AD David Citharam cano psalmodiam,
DEI tam præclaram Misericordiam.
Manè & vespere sonabo gemitu,
Placans continuo Deum anhelitu.
Plus peccans Davide plus edam cinerem,
Vultum cum capite jactans in pulverem.
Planè emorior dum id commemoro,
Ubi est Dominus DEUS meus oro.

Versus & Oratio.

DEUS in adjut: &c: Gloria Patri &c:

CAntemus Domino & gloriosiùs,
Stamus in termino Moyse felicius.
Illum à pelago salvavit gratia,
Et nos ab Erebo Misericordia.
O quantum pelagus Dei Clementiæ,
In me effunditur abissus gratiæ.
Quod dum recogito plus flammis torqueor,
Ardens incineror, gemens emorior.

Versus & Oratio.

DEUS in adjut: &c: Gloria P. &c:

TRiumpha Ninive Cane victoriam,
Tecum benedicam Misericordiam.
Qui à Te fulgura ignis seposuit,
Pro me incendia multa continuit.
Non lætus Daniel sic à Leonibus,
Liber prout ego à tot Draconibus.

Nec in Babilonis fornace gratia,
Major; erat in me quam est clementia.
Versus, Oratio supra.

DEUS in adjut: &c: Gloria P. &c:

DEUM benedicant Misericordiæ,
Quæ se communicant tantæ miseriæ.
Per Christum Dominum Agnum mitissimum,
Pro me ad Sangvinem sic effusissimum.
DEUM benedicant Templa Altaria,
Sacramentorumq; immensa copia.
Omnis in Angelis & Sanctis claritas,
Omni in populo fideli Charitas.
Oratio ut supra.

CONCLUSIO.

PAter misericors DEUS Ter Optime,
Has Tibi consecro Laudes humillime,
Majores perfice & fac perpetuas,
Esto propitius dabo continuas:
Flentem ut Magdalim vel Dismam respice,
Pastor in humeros ut ovim projice.
Ex Corde tam piæ Misericordiæ,
In Paradisum me fac Socium viæ.

O F.

OFFICIUM
Capitis CAPITI obligati,
Venerando Capiti
D. JESU CHRISTI.

Salve tremendum cunctis potestatibus CAPUT D. JESU Christi,
Salve Caput aurum optimum Vulnus Maximū.
DEUS in adjut: &c: Gloria P. &c:

REx Regnorum Angelorum
Caput orbis Nobile,
Virgo regit stramen tegit
Te in casa humile,
Demissum in stabulo! abjectum à populo.
Fuge care hinc trans mare
Hostis instat Capiti,
Infans Agne Exul magne
Truci cede militi.
Ubiq; innocuum, adoro Caput Tuum.
Domine exaudi orat: Et clamor &c:

ORATIO.

CLementissime DEUS qui omnia insignia Passionis Christi dedisti nobis cultui & fructui Salutifero, Te humiliter deprecamur ut qui Coronam spineam & Caput Sacrosanctum illius humiliatum ac cruentatum veneramur, Ejus virtute ab omnibus periculis mentis & Corporis muniamur. Per Dominum Nostrum &c.

Salve &c: Deus in adjut: &c: Gloria &c:

SAlomonis Arx Coronis Caput hoc venerare
Quod pro nobis hic improbis
Vult triduo orare,
Numen coram Numine In Doctorum agmine;
Deo plenum Caput ſenum Vertices illuminat,
Poſt ſe Patri ſubdit Matri Deo ſemper acclinat.
Volutatur Larib is Caput præ capitibus,
Oratio ſupra.

Salve &c: Deus in adjut: Gloria &c:

NUdus pannis ſub Joannis
Manum Caput ſubjicit,
Majus Thronis & Coronis
Plenum faſtu conficit.
Telo meum verticem, Niſi ſternam ſupplicem.
Capit nemo in eremo Quæ frontis humilitas.
Vita tota ceu ſol nota, Et Doctrinæ claritas.
Hoc pro me ſollicitum Colo Caput inclitum.
Oratio ſupra.

Salve &c: Deus in adjut: Gloria &c:

PAnde ædes! En ad pedes
Caput Chriſti volvitur.
Stupor mundo quod immundo
Judæq; ſic flectitur.
Adoro toto mundo Caput hoc in profundo,

Res.

Res mirandæ Caput grande
Miſcetur pulveribus,
Dum in horto metu orto
Orat pro hominibus;
Heu! quo ſudoris fluctu,
Heu! quo mentis in luctu.
Oratio ſupra.

Salve &c: Deus in adjut: Gloria &c:

TAndem raptum fune captum
Capitur in manibus,
Crine læſum, fuſte cæſum
Conculcatur pedibus.
Per Urbem opprobria, Cenſentur per millia.
Ad columnam fert ærumnam
Frons hæc Sacratiſſima,
Saxo cuſa trino truſa
Ictu manſvetiſſima.
Tu ſaltem frontis cute Terram gemens percute.
Oratio ſupra.

Salve &c: Deus in adjut: Gloria &c:

JESU Chriſte Tuum triſte
Caput pronus adoro,
In ruina quia ſpinà
Circumſeptum deploro.
Sedes Coronarum, fit ager ſpinarum.
Laceratum cruentatum Caput Regis incliti,
Ictu crebro in cerebro Vepres Longi abditi

Faci-

Faciem ceu flumine,
Lavarunt in Sangvine.
Oratio supra.

Salve &c: Deus in adjut: Gloria &c:

CUncta Lauro omni auro
Caput pretiosius,
Caput mundi, mens profundi ?
Numinis! quod carius.
Torquetur in vepribus Millenis vulneribus.
O mens cara tam amara,
Torquet meam passio.
Culpæ meæ mentis reæ
Sunt doloris ratio.
Parce meo capiti! Peccare præcipiti.
Oratio.

Salve &c: Deus in adjut: Gloria &c:

IN Corona portat dona
Scelestorum præmia,
Super montem: Crux & frontem
Quatit frangens brachia.
Nulla cordi impio mentiq; compassio.
Tribus horis Rex doloris
Majestas Sanctissima,
Vires tendens! Caput pendens
Fit jam mortis victima.
Caput mundi concidit,
Cor mors corda non scidit.
Oratio. CON-

CONCLUSIO.

CAdo pronus ſciens onus
In capillis criminum,
Sterno ſontem Fronti frontem
Placo meum Dominum.
Ipſum ſpinoſo vertice Cor compunge refice.
Leva mentem Te poſcentem
Salva caput perditum,
Ante fatum ad beatum
Surgat ſtatum inclitum.
Averte tot mucrones Supliciq; condones.

Laudetur Sacroſanctum CAPUT Domini JESU Chriſti, in ſæcula &c.

OFFICIUM
De Veneranda Facie
D. JESU CHRISTI.

Faciem Tuam illumina ſuper ſervum tuum.
Et doce me Juſtificationes tuas.

DEUS in adjut: &c. Gloria &c.

CHriſti mei Nati DEI
Vultus veri Hominis.
Te adoro Te imploro
Fax eſto ſolaminis.
Repelle poſcentibus Cæcitatem mentibus.

Sol

Sol polorum Angelorum
Lumen Serenissimum,
Icon Patris pulchræ Matris
Objectum dulcissimum:
Tu Flos præstans floribus,
Sidus præ sideribus.
Te dum cerno sole verno
Non lætor post pluviam,
JESU Chare! consolare
Ut Te totus capiam.
Sponsorum pulcherrime,
Te amem tenerrime.
Ne projicias me à Facie tua,
Et Spiritum S. ne auferas à me.

Oratio seu Salutatio.

Ubicunque prospexeris umbram Christi.

AVe dulcissime JESU Christe Fili DEI, Fili David, Fili Virginis MARIÆ, plenus gratiæ & veritatis, abissus misericordiæ, Vita dulcedo & spes mea Ave! Corde, cultu & affectu cordium omnium Ave Ave! Tu Verbum Patris, Tu Splendor & Figura substantiæ ejus, Tu Speciosus forma præ Filiis hominum. Tu Rex Regum Dominus Dominantium, Tecum principium in die virtutis, in splendoribus Sanctorum. Benedictus Tu Fructus Ventris MARIÆ, JESU Christe miserere nobis peccatoribus nunc & in &c.

Faciem

Faciem tuam &c: Deus in &c: Gloria &c:

PUlchro Vultu multo cultu
Chriſtus in baptiſmate,
A ſe datum ipſe natum
Pater ungit Chriſmate,
Angeli proſpicite, Homines attendite.
En in ſonte cadit fronte
Pro nobis conteritur,
O affectus! quos dilectus
Propter nos conſequitur.
Eſt Ipſe cæleſtis Pater dicens Teſtis.
Terra gaude Chriſti Laude
Vultus DEO placuit,
Qui pro natis in peccatis
Se ſcutum oppoſuit.
Summa Sanctitatis, Rogus Charitatis.
Oratio ſupra.

Faciem &c: Deus in adjut: &c: Gloria &c:

DIes chara quando clara
Fulget Chriſti Facies,
Cælum cole ſolem ſole
Superat hæc ſpecies.
O Lumen clariſſimum Viſu Beatiſſimum,
Hæc Figura genitura
Quia DEI Filius,
Trinitatis Deitatis
Eſt Imago totius,

Quis

Quis? quàm pulchre radiat
Videre non cupiat.
Petre gaude Vultus laude
Tam præclara ſpecie,
Gaude ea Tu Andrea
cum Jacobo Facie.
O JESU tua Face gaudeamus in pace.
Oratio ſupra.

Faciem &c: Deus in &c: Gloria &c.

SOl quo cadis plenus cladis
Ad plantas cum balneo,
Judæ pedes cudunt cædas,
Tu has tergis linteo.
O Sidus pulcherrimum Miror Te humillimum.
Sol Beate! obſcurate
Mades largo Sangvine,
In tenebris quando febris
Crevit malo omine:
Jam jam hic triſtiſſimam
Lege mortem proximam.
Pallor ore fax ardore
Pugnant, quæ victoria?
Cor non calet? male valet
Mors imminet obvia.
Hic cadentem cum cultu
JESU reſpice Vultu.
Oratio ſupra.

Faci-

Faciem &c: Deus in adjut: Gloria &c:

O Lux Diva! hic captiva
Gemis ſub calcaneis
Pugno ſputo ſpreta luto
Stas tyranni trophæis.
O triſte ſpectaculum Viſu cordis jaculum.
Viri pravi manu gravi
Heu colaphum patitur,
Gemma rubet! Quod non cubet
Miror dum ſic cæditur.
Hæc dum pavidus vidit
Cur mundus non cecidit.
Nocte triſti Vultus Chriſti
Sol tectus velamento,
Caiphas ridet miles ſtridet
Nox cadit in tormento,
O meta tot dolorum ſis ſolamen meorum.
Oratio ſupra.

Faciem &c: Deus in adjut: Gloria &c:

O Figura in tortura
Sangvinis in purpura,
Plus quàm Roſa ſpecioſa
In ſpinarum preſſura,
O DEUS ſi decuit! in Rubo apparuit.
Caput ſentes fodientes
Trudunt fontes Sangvinis.
Flos in Rore, ſed decore
Deſtitutus Luminis. Ec-

Ecce HOMO & DEUS,
Rex, Dux & Pater meus;
Vide Vultum tam incultum
Homo facie trifti,
Fle reatus qui meatus
Hoc cruoris torfifti,
O JESU Vultu tuo! me punge perpetuo!

Oratio supra.

Faciem &c: Deus in &c: Gloria &c:

QUo dolore in fudore
Vultus Chrifti mergitur,
Quando trucis Ligno Crucis
Vis tota obruitur.
Atlas mundi Sanctior, Sudat copiofior.
Fidus teftis vos adeftis
Cum fletu mulieres,
Quo murice Veronicæ
Pinguntur Characteres.
Sangvis pingit hominem,
Tu deplora Sangvinem.
JESU Chrifte! Lumen trifte
Tuam ploro Faciem,
In me peto aboleto
Turpem culpæ fpeciem.
Me tuam Creaturam
Fác fac tui Figuram.

Oratio supra:

Faci-

Faciem: Deus: Gloria &c:

TRibus Horis Vir doloris
Pendes in patibulo,
Hæc Figura in tortura
Mors eſt viva oculo.
Sol cernens nigreſcit, Luna eva neſcit.
Poſtor Bone in agone
Dum Te cerno pallidum,
Nunc Calentem nunc arentem
Carne tota madidum.
Quo ſpecto proximior, Triſtius emorior.
Lumen Cæli jam Angeli
In occaſu plangite,
Peccatores per dolores,
Mille corda ſcindite.
Mater tuum Filium Reſpice prodigium.

DEDICATIO.

FIli DEI Vultum tuum
Dum adoro procidens,
Saltem ſole hoc, mortuum
Me ſolare providens.
Ut contempler vultu meo
Id quod modo diligo,
Et præ toto Empireo
Te gaudeam obligo.

A F-

AFFECTUS.

O Præclara! o Deifica Facies Christi mei! adoro Te cum omnibus Sanctis in Cælis præ sole Sereniorem, omnes Sanctos visione beatificantem Ipsi DEO placidissimam. Adoro Te ubiq; per universum, in omnibu Figuris, Imaginibus mirabiliter ac benignissime mihi resplendentem. Adoro Te ubiq; velut è Nube ex Eucharistica umbra me piissime virtute Divina facitissima prospicientem: ac me in dies ad se invitantem: Ubiq; procidens in faciem meam cum lachrimis. Adoro Te, placo Te, glorifico Te, confundo & cum cinere misceo me, pono me Tibi Humagium, humagiorum, cælestium ac terrestium & hollocaustum pro peccatis in Sudore, Lachrimis & Sangvine tuo plorans, gemens & dolens de sceleribus meis de contēptibus tuis. O Bone JESU quâ Facie Petrum Dismam prospexisti, respice me plorantem, & visione tua purifica, subleva & salva me.